NVNCVPATORIA.

quam gloriolam aucupari & inclarescere: neq; defunctorum manibus, neq; uiuorũ existimationi parcere. Quaeso omnes bonos per omnia sacra: ut putent me nullo sinistrò instituto, neq; calumniandi amore ad hoc negocium ultro prosilijsse. Sed ab initio aliud longè agentem inductum esse: atq; hodie uelle pro mea tenuitate, palâm facere: quantum hæc ars in unaquaq; professione possit. Maluisseq; me huic arti inseruire potius, quàm pleraq; non satis exactè explicata & dicta dissimulare. Scio etenim habere me illæsam conscientiam: & longè aliud, quàm aliquis fortassis parum amicus calumniabitur, quærere: dum à ueteribus satis tamen uerecundè dissentio. quòd cuiuis bono magis amica debeat esse ueritas, quàm uel Socrates uel Plato. Neq; infitias eo, me Bartholi, Baldi et aliorũ clarissimorum interpretum atq; præceptorum meorum, qui eosdem secuti sunt, opera adiutum esse: ut id quicquid tandem est iuris ciuilis cognitionis: quod non ignoro perquàm esse modicũ: didicerim. Tantùm abest ut eorum authoritatem uel eleuare uel labefactare in uotis habeam. Hoc ipsum in præsentiarum pollicens & bona fide promittens: amico & æquissimo animo laturũ me, si quis nostros quoq; lapsus nobis ob oculos posuerit. Dummodo candidè idipsum fiat & citra inuidiam. Neq; enim tantùm mihi uel fido uel tribuo, vt hęc omnia pro oraculis haberi uelim: quòd non ignorem,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/apel1535/0005
gefördert durch die Gesellschaft der Freunde Universität Heidelberg e.V.